

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Orationes in memoriam viri dvm [dum] viveret maxime  
venerandi ac doctissimi Iacobi Fridrici Maleri sereniss.  
March. Bada-Dvrlacensi a consiliis ecclesiasticis gymnasii  
rectoris &c &c; die XXXI. ...**

**Maler, Jakob Friedrich**

**Carolsruhae, 1765**

[urn:nbn:de:bsz:31-6824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-6824)





Q. D. B. V.

AD

ORATIONES

IN MEMORIAM

VIRI DVM VIVERET MAXIME  
VENERANDI ac DOCTISSIMI

IACOBI FRIDRICI  
MALERI

SERENISS. MARCH. BADA-DVRLACENSI  
A CONSILIIIS ECCLESIASTICIS  
GYMNASII RECTORIS &c. &c.

DIE XXXI. MENSIS MAII M DCC LXV.

EIVS EMORTVALI

ANNIVERSARIO

IN PVBLICO AVDITORIO HORA II. POM.

HABENDAS

MVSARVM PATRONOS

ATQVE

AMICOS

PER OFFICIOSE INVITAT

ET

DE GYMNASII RECTORIBVS PAVCA PRAEFATVR  
IOANNES CHRISTIANVS SACHS  
ILLVSTRIS GYMNASII RECTOR  
SERENISS. PRINC. CONSIL. ECCLES. ASSESS. ET HIST. PROF.

CAROLSRUHAE TYPIS MACKLOTIANIS.

(1765)



VIRI DVM VIVERT MAXIME  
VERE DDI AB POTISSIMI

IACOBI FRIDRICI

M. A. T. T. T.

SENISS MARCH BADA-DVRLACENSIS  
A CONSILIIS ECCELESIASTICIS

AVVVS ET PECTORIS

D. N. S. M. A. T. T. T.



IN EVANGELIO ANTIQVVS HORAS PONT  
BACONAS

MVSARVM PATRONOS

042 B 62, 6140 RH

A. M. I. C. O. S.

FRANCISQVE INVIAT  
ET

DE GYMNASII RECTORIS PAVCA PRAEFATE

IOANNES CHRISTIANVS SACHS  
LYCEVS GYMNASII RECTOR

FRANCO-SAXONICIS ECCELESIASTICIS ET NID TRON  
C. A. C. H. S. V. N. T. Y. S. I. S. M. A. T. T. T. T.

Z

M



**Q**uem ERNESTUS, Marchio Durlacensis, ab erroribus divino studio purgatum summi Numinis cultum adamavit, pioque mentis affectu coluit (a), & CAROLUS II. patriarum terrarum ac virtutum hæres, in ditiones suas immota animi constantia introduxit (b), nepos ERNESTUS FRIDRICUS factum tectum ut conservaret, atque ad posteros propagaret, regiminis sui initio contendit. Non fugit Principem tam sapientem omnisque ætatis experientia edoctum, quantum interfit, altas in hominum animis veritas ut agat radices, fierique hoc facilius haud posse, quam si cum lacte materno imbatur, atque a tenerrima ætate accurate comprehendatur. Id igitur operam dedit, ut per omnem, quem divina potentia ipsi regendum concesserat, Marchionatum, ædificia publica ne deessent, ubi doctrina & religione expoliretur juvenus.

Inprimis memorabile est, quod Durlaci institutum fuit, bonarum artium & disciplinarum domicilium veræque virtutis officina. Illustris hujus scholæ fundamenta quo anno fuerint posita, non satis liquet. Utinam faces superioris sæculi & rapinæ militares, quibus innumera patriæ nostræ monumenta vel incendio consumta, vel dissipata sunt, omni recuperationis spe ablata, tot rerum memoratu dignissimarum certam nobis memoriam non furripuissent. Sunt tamen nostrates, qui A. 1583. sub communi fratrum ERNESTI FRIDRICI, JACOBI, & GEORGII FRIDRICI, Marchionum Durlacensium regimine D.

A 2

MAR-

(a) Vehus, Ernesti Marchionis Cancellarius, purioris doctrinæ avidissimus Principem suum ejusdem fecit participem. Hinc in eleganti carmine, quod in Ludovici, Wirtemb. Duc. nuptias fecit, ita de Ernesto canit Fischlinus:

Hoc duce perpetuæ verbum cœlestæ salutis  
Badenis cœpit promicuisse focus.

Hoc duce regna suis orbata papalia nervis,  
Cœptaque sunt pure dogmata sacra coli.

(b) Anno 1556. Plura vide in JO. VALENT. ANDREÆ *Fama Andreana reflorescente*, & viri omnibus notissimi D. JO. FRID. STEINII *diff. de providentia divina circa reformationem in terris Badensibus*, Ao. 1746

MARTINO AMELIO seu ACHTSYNIT, D. DURRIO Superintendente Generali, & PISTORIO NIDDANO, Polyhistro illo famosissimo, fuasoribus, institutum esse Gymnasium affirmant. Idem, ipsum ædificium eodem anno fundatum, & triennio post, cum ERNESTUS FRIDRICUS, divisis patriis terris, Durlacum possideret solus, perfectum memorant (c). Certe Gymnasii hujus cognomen, quod ab ERNESTO FRIDRICO vocabatur *Ernestinum*, conditorem suum clarissime prædicare videtur.

Munificentissimus hic scholæ suæ Stator & Nutritius, ut a viris tum doctrinæ christianæ puritate, morumque probitate, tum eruditionis fama conspicuis, & laboris scholastici patientibus juvenes sanctissime educarentur, rerumque pulcherrimarum cognitione solerter imbuerentur, liberalissime prospexit. Neque tamen ita quidem Lyceo suo satis consultum videbatur sapientissimi Principis prudentiæ, nisi, arcto quasi concordiæ vinculo inter se qui cum docentes tum discentes contineant, illi præficiantur Rectores.

Primus, cui hæc cura demandata A. 1583. fuit MARTINUS BLANKIUS (d). Is vero, munus vix aggressus, aut alio terrarum evocatus, aut mortali statione defunctus est. Successorem enim eodem anno habuit LAURENTIUM SCHYRIUM seu SCHEUERLE, Ulmensem. Hic antea Serenissimo Marchioni a concionibus fuerat, & A. 1589. D. Dürrio mortuo, Summi sacrorum Antifitis, quem Generalem Superintendentem appellamus, honoribus ornatus, Rectoris dignitatem retinuit (e). SCHYRIUS A. 1592. vel 94. in Academiam Juliam, ibique fato A. 1613. concessit.

Post hunc A. 1596. Gymnasio præfectus est DANIEL RIXINGERUS, qui, cum Saxoniam & Daniam petisset, in patriam rediturus Argentoratum, Durlaci a Marchione ERNESTO FRIDRICO ad amplum hoc munus vocatus; at, cum in Philosophiam propenso semper animo fuisset, biennio post in Academiam patriam revocatus est.

Immutare tum temporis sacra in ditionibus suis cumconstituisset idem Princeps, LUDOVICO LUCIO, qui in urbe patria Basilæ a linguas orientales & Theologiam docebat, supremam Gymnasii ceterarumque scholarum curam delegavit. At, ERNESTO FRIDRICO A. 1604. inopina morte humanis rebus erepto, GEORGIUS FRIDRICUS Marchio hunc Gymnasii Rectorem diutius officio suo fungi non passus est (f), & HENRICO MUMMIO fasces commisit. Cujas ille fuerit me profus latet. Id vero relatum lego, MUMMIUM illum non ultra quadriennium spartam, quam nactus fuerat, ornasse.

JOHAN-

(c) Docet id ex M. PAULI CHERLERI, Ecclesiæ Bincemiensis Ministri, & reverendæ Synodo Roetelanæ in Super. Marchia ab epistolis & fecretis, præfatione in opus poëticum, FECHTIUS in *Tabb. Chron. apparat. ad epistolæ Marbach.* p. 956.

(d) Vid. *Tabb. modo allegat.*

(e) Quas breviter his pagellis delineo Rectorum Gymnasii vitas, copiose & erudite describit doctissimus JAC. THEOPH. EISENLOHRIUS, Pastor Thiengensis, in *Historia patriæ ecclesiastica*, quam summa industria collegit.

(f) Vitam ejus dedere Lexici Basil. auctores. Tom. III.

JOHANNES HIMMELIUS, Stolpæ in Pomerania natus, magna Wittebergæ, Jenæ, Giffæ, conquifita eruditione, majorem conquifiturus iter per Bavariam, Helvetiam, Alfatiam in Palatinatum eo tempore fecit. GEORGIUS FRIDRICUS Marchio virum hunc, multis doctrinæ speciminibus celebratum, redire in Pomeraniam noluit, eumque, ut Gymnafio Durlaceni præfret Reftor, largiffime invifavit. Ad Principis nutum fe totum finxit HIMMELIUS. Sed vicina Spira, quæ ob supremam Sacri Romani Imperii Curiam inter Rhenanas urbes caput extulit, cum Mufarum in reftaurato fuo Athenæo rerum divinarum humanarumque præfidem quæreret peritiffimum, HIMMELIO A. 1612. fedem ut mutaret, perfuafit (g). Novus igitur quærendus erat gubernator.

MATTHIAS BERNEGGERUS, Auftrius, jam ante id tempus in itinere, quod per Hungariam, Bohemiam, Comitatum Tirolenfem & terras Palatinas inftituerat, in virorum omnibus iis artibus, quæ funt libero dignæ, perpolitorem notitiam venit. Latere viri hujus litterarum amantiffimi nomen non poterat. Pervenit ad ipfum GEORGIUM FRIDRICUM folium. Humaniffimus BERNEGGERUS in Humanitatis Collegio Durlaci munia Reftoris ut capefferet, optabat Marchio. Marchionis votis fingulari amore Argentorati ductus hic Matthias non refpondit (h). Refpondit CHRISTIANUS MATTHIÆ (i), Meldorpii in Ditmarfia natus. Hic, cum A. 1614. Durlacum veniffet, quantam doctrina & indefeffo in erudienda juventute ftudio Principis gratiam conciliaverit, vel ex eo perfpicuum eft, quod, eo hortatore, mille florenos annuos pauperibus Gymnafii alumnis legavit Princeps liberaliffimus. Ortis A. 1618. variis apud nos tumultibus, folertiffimus hic fcholæ Reftor, cum in memoriam, quod CICERO (k), *tumultus*, inquit, *sine bello effe non potest*, revocaffet, fecuritati fuæ consulendum putavit. Avolavit Altdorfium, bonis omnibus ingens fui defiderium relinquens.

Damnum, quod in MATTHIÆ fecerant Mufæ, reparavit THOMAS WEGELINUS (l), Auguftanus. Is Principi noftro multis nominibus carus, poftquam Tubingæ fummos in Theologia honores accepit, confulatam Gymnafii adiit, oppidoque Durlaco a facris effe cœpit. Interfuerat jam antea Colloquio inter GEORGIUM FRIDRICUM, Marchionem Badenfem, & FRANCISCUM, Lotharingiæ Ducem, Durlaci A. 1612. inftituto, ob novas, quæ a JOHANNES CONTIERIO, five, ut alii vocant, GONTIERIO præfcribebantur, colloquendi conditiones haud ignobili (m). Ipfe Wegelinus fcriptis eruditiffimis contra adverfarios non fine gloria militavit (n).

A 3

Post

(g) Conf. WITTE *Mem. Theol.* & SPITZEL. *Templ. honor.*

(h) Vid. WITTHEN. *Memorab. Philofophor.* dec. 4.

(i) Conf. STOLLII *Anleitung zur Hiftorie der Theol. Gelahrheit* & ibi alleg.

(k) *Philipp.* 8.

(l) Mentionem ejus facit BUDDEUS in *Ifagoge Historico-Theol.* Ed. 1724. p. 1274.

(m) JO. LUD. HARTMANN. in *conciliis illustratis* Tom. IV. p. 766. fqq.

(n) Vid. ejus *judicium de novo Jefuitarum contra omnes hærefes amuleto*, quod ejus-



Post pugnam apud Wimpinam, quam GEORGIUS FRIDRICUS, Marchio Durlacensis, A. 1622. infeliciter pugnavit, cum periculum esset, ne patria nostra ad pulvisculum exhauriretur omnis, Argentoratum, ubi ante, quam ad nos venisset, litteris operam dederat, belli metu concussus A. 1623. repetiit WEGELINUS, ibique Theologiæ Professor & Conventus Ecclesiastici Præses diem obiit supremum.

Hactenus Gymnasii moderatores memoravimus, quos, tanquam lumina alio ex orbe terram suam collustratura, evocaverant Marchiones Badenses. Ne autem domestica, quæ habebat & propria bona, videretur negligere aut nihili facere FRIDRICUS V. Marchio, qui, dum Parens GEORGIUS FRIDRICUS in armis erat, gubernacula reipublicæ capeffivit, CONRADUM WEININGERUM, indigenam, Summi in Marchia superiori sacrorum Antistitis filium genuinum Musis Durlacensibus præposuit. Contigit huic, quod paucis contigisse novimus, ut, præter patrem doctum atque inprimis eruditum, matre uteretur latinæ linguæ & Antiquitatis Christianæ non mediocriter perita; adeò, ut de iis, quæ ad sacra faciunt, conquistis rationibus disputare subtiliter & copiose soleret. Is in munere hoc patriæ, cui se totum devovit, & bonis omnibus, quibus industriam suam dicavit, per totos triginta, & quod supra excurrit, annos, se probavit. Dicitur non potest, quanta ejus fuerit in Principem veneratio, quanta in rebus adversis patientia, quanta denique in defendenda veritate perspicacia ingenti prudentia condita.

Tandem innumeris afflictionibus exhaustis A. 1659. consentiente Principe, MATTHIAE LEMBCKIO, Logices primum & Metaphysices Professori, deinde Conrectori, vigiliam suam tradidit, summa sacrorum cura in Marchionatu inferiori ipsi demandata. LEMBCKIUS haud ita diu in scopulis his naufragus hæsit. A. 1668. Denzlingam, tanquam in otii portum confugit, Antistes Marchionatus Hachbergenfis designatus. (o)

Post eum Gymnasii clavum tenuit JOANNES FRIDRICUS HEILBRONNERUS. In patriæ nostræ oppido Sulzbergæ natus ille fuit A. 1629. quod dubium est, utrum antiquitatis suæ gloria, an numero virorum, qui ibi a natura propriam lucem aspexere, virtutis doctrinæque fama illustres, sit nobilior. Indomiti milites, funestissimorum latronum instar qui tum misere depopulabantur omnia, patria pellere juvenem HEILBRONNERUM, ad summa quævis natum potuere; ardentissimum litterarum studium animo ejus expellere omne Martis satellitium non potuit. Non alium portum aut propiorem aut commodiorem rei suæ videbat, in quem pervehi mallet, quam Argentoratum. Ibi inter ulnas DANNHAUERI, DORSCHAEI, JOHANNIS & SEBASTIANI SCHMIDTIORUM securus agens ad summum in Theologia gradum A. 1652.

---

*ejusdem veræ & authenticæ relationi de discursu inter Georgium Fridericum, Marchionem Badensem, & Franciscum, Ducem Lotharingiæ, Durlaci instituto, subjunctum. Add. WEGELINI Trophæum Augustinianum de sacra scriptura, fidei principio.*

(o) Longum foret, scripta Weiningeri, & eorum, qui post eum Rectoris Gymnasii munere functi, recensere.

A. 1652. adscendit. (p) Germaniæ qui pacem reddiderat Deus, patriæ reddidit HEILBRONNERUM. Marchionatui Hachbergenfi in rebus sacris præfectus, FRIDRICO V. Marchioni Durlacensi a concionibus in aula, & paulo post a consiliis fuit ecclesiasticis. Singulare id videtur beneficium, quo parentis ejus, senis incomparabilis, in patriam merita remunerabatur bonitas divina, quod filium hunc minime degenerem ad latus habebat in Senatu Sacro Affefforem. Parente mortuo, Generali in Marchionatu superiore ecclesiarum Inspectore, & CONRADO WEININGERO, vita & munere in terris inferioribus defuncto, utraque dignitas collata est HEILBRONNERO juniore; dignitas, qua neque ante, neque post eum, ad nostram usque ætatem quispiam ornatus. Ita vigeat corpore & animo, ut cuilibet oneri haud impar videretur. Inde illustrem quoque scholam regere justus est, dignus, cui contingeret, vitam ut conficeret longissimam. Sed opinione citius labori succubuit A. 1669. quadragesimum annum nondum ingressus. Immaturam hanc mortem Princeps, patria, Musæ complorarunt.

Docebat tum in Gymnasio nostro eloquentiam & historiam JOANNES GERHARDUS ARNOLDUS, Fridbergensis. Hic ita naturæ muneribus in re scholastica habilis, ita instructus fuit, ut non natus ad erudiendam juventutem, sed factus ab ipso Deo esse videretur. Quo factum est, ut, cum eum scholæ suæ Rectorem constituisset FRIDRICUS VI. Marchio Durlacensis, ad eam, tanquam ad communem artium liberalium palæstram virtutisque domicilium augustissimum undiquaque confluerent adolescentes. ARNOLDO, florentissimum Gymnasia statum indefessi sui laboris præmia cœlestia modeste agnoscanti non defuit in terris auctoramentum. Serenissimus Princeps non splendide modo Consilarii Ecclesiastici dignitatem ei sua sponte obtulit, sed eum etiam, quem tam bene, tam feliciter juventutem instituere admirabatur, filium suum, in patriæ spem genitum, ut historiam cæterasque artes, tanto Principi necessarias doceret, humanissime rogavit.

Ea est rerum humanarum natura, ut, cum in id evectæ sunt, ultra quod ascendi non potest, repentina sæpe ruina soleant procumbere. Testor ego annum 1689. in patriis annalibus non atro colore, sed lacrymis & ipso civium sanguine notatum; testor Durlacensis Gymnasia, cujus fama Germaniam pervaserat omnem, tristissima rudera. Refugit animus, funestam illam patriæ nostræ dulcissimæ cladem uberius commemorare. Flammis consumta incendiatorum detestando ministerio Musarum sede, Musæ, Musarum alumni, Præsides, Nutritii, a ferreis ærati Martis cohortibus perculsi diffugerunt. Fama de Durlacensi exordio ad finitimos, ad remotos cum perlata est Principes & Civitates illustres, in

(p) Principi Heilbronnerum his versibus gratulatas est Dorschæus:

Magnates medicos fontes thermasque scatentes  
 In terris adamant respiciuntque suis.  
 Princeps summe, Tibi scaturit fons limpidus; illum  
 Respice quæso, adama quæso, salubris erit.  
 Heilbronnerus is est &c. &c.

in excipiendum, consolandum, nutriendum ARNOLDUM miserante quadam concordia consensere, in hoc uno discordes, quod singuli virum rei scholasticæ peritissimum esse suum voluere. Et quanquam FRIDRICUS MAGNUS, Marchio Durlacensis, diu a se impetrare non potuit, ARNOLDUM ut a se dimitteret, illius tamen precibus victus postremo haud invitus cessit, sperans, fore, ut, restituta pace & reducto otio, Musæ, pacis & otii alumnae, cum suo præside, Francofurto, quo habitatum concesserat, Durlacum reducatur. Interea nec Consilarii Ecclesiastici dignitatem deposuit, nec in reparanda, quæ collapsa jacebat, re scholastica, consilio & opera juvare Principem desit. Ipse vero non rediit unquam, sed Francofurti A. 1717. fere octogenarius obiit.

Laboris & calamitatis collegam & socium ARNOLDUS habuit MICHAËLEM BULYOWSZKY DE DULY CZ seu GYULAFFALVA, Comitatus Neogradensis in Hungaria Juris Assessorem. Eques hic Hungarus patriam maluit A. 1670. quam puriorem, cui deditus fuit, doctrinam relinquere. Relicto Danubio contendit ad Rhenum, Argentinae studia historica, mathematica & musica, quibus adeo excelluit, ut non habuerit secundum, continuaturus. Inde Durlacum A. 1679. vocatus, quartæ, & paullo post tertiæ Classis alumnis cum omnia, quæ nosse hujus ætatis interest, studiosissime tradidisset, Præceptorem hunc Tertianum in Classẽ secundam promovit, eumque Logices Professoris titulo ornavit Marchio. Præcorum Principum sedem & scholam fumantem ille vidit, ipse incendio ferali ambusus. Combusta, quam Durlaci habuerat, cathedra, in novis Pforzhemii exedris docere juventutem belli calamitatibus fatigatam cœpit, *Et sic*, ut ipse scribit *q)*, *quodammodo duritatem temporis sibi Et aliis quasi emollivit.* Post pacem Riswicensem, cum de nova Musarum sede Durlaci cogitaret FRIDRICUS MAGNUS, Prorektoris munia, & postea, ob miram in educanda juventute peritiam, industriam, patientiam, Consilarii Ecclesiastici dignitatem Hungarus ille doctissimus obtinuit. Tandem A. 1712. molestis laboribus scholasticis defunctus mortem cum vita commutavit.

Hungaro successit Borussus, IOANN. LUDOVICUS BOYE, Regiomontii natus. Quam & in patria schola, & Rostochii, & Wittebergæ, & Francofurti ad Viadrum studiose collegerat Theologiæ, Philosophiæ & Mathematicæ scientiam, Jenæ Facultati, quam dicimus, Philosophicæ adjunctus, cum aliis non sine plausu communicavit. Inter illos fuere nonnulli nostratium, qui, postquam in celeberrima illa Academia Salana litteris vacaverant, viri hujus altam eruditionem, raram in disputando dexteritatem, morumque singularem elegantiam domum reduces laudibus sustulerunt. Ita A. 1714. innotuit Serenissimo CAROLO WILHELMO. Principis hujus clementissimi voluntati, Gymnasii Durlacensis Rectorem ut ageret, Philosophiamque doceret lubentissime paruit.

CAROLUS WILHELMUS, Marchio, tam militaris, quam civilis Architectonicæ callentissimus A. 1715. novam sibi, qui mos magnis Principibus solemnis fuit, condidit sedem, eamque lingua nostra populari vocari iussit *Carolsruhe.* Principis sede Caroli Hesycheum, ut græce loquentium forma utar, translata, translata eodem Musarum sedes est. Domicilium antequam mutavit  
Gymna-

(q) In Programm. A. 1691. exarato.

Gymnafii hujus Rector, Confiliarii Ecclesiastici titulum ei novæ urbis Conditor concessit. Præfagire viro docto huc proficifcenti animus aliquid mali vifus est. Nec omnino fefellit. Caroli Hefycheum A. 1724. venit, ægrotavit, animam efflavit.

Eum excepit PHILIPP. IACOB. BURCKLINUS, cujus humanitatem æquitatem, modestiam, quotquot familiariter eo ufi sumus, non minus, quam rerum sacrarum & profanarum scientiam adhuc lugentes miramur. Mater eum Argentorati, quo cum marito, Durlacensis Civitatis confule, patria bello vastata, confugerat A. 1692. enixa est. Reversis parentibus in patriam e cinere refurgentem, optimæ spei adolescens a clariffimorum, qui tum Durlaci docebant, virorum ore pependit. In exteris, quæ deinde adiit, litterarum emporiis, Jenæ, Wittebergæ, Lipsiæ, Giffæ, Argentorati, maximi nominis viris tam felici fucceffu præceptoribus ufus, ut ante, quam ipse in patriam rediit, fama de præclara, quam paraffet, eruditione eum præcefferit. In patriam redux, A. 1717. Sereniffima AUGUSTA MARIA, quæ Augufenburgi prope Durlacum FRIDRICI MAGNI obitum deflebat vidua, a concionibus fibi BURCKLINUM effe voluit. Non ita multo post, CAROLO WILHELMO jubente, iter Lutetiam Parifiorum fufcepit, filio Principi hæreditario ut ne deeffet, qui facris fermonibus promovendam animi salutem in itinere juvaret. Principem e Gallia in Hollandiam, ex Hollandia in Angliam proficifcentem comitatus bibliothecas publicas & privatas ubique frequentavit, magnoque optimorum librorum, quos ipse fuis sumtibus comparavit, copia locupletatus cum defideratiffimo Principe domum revertit incolumis. Curæ fuit fummo Principi, BURCKLINUS de patria optime meritus, loco quodam opportuno ut requiefceret. Bincenfibus in Dynaftia Roetelana, quem vicum regionis ingenio amœniffimum viri virtutis & doctriæ gloria florentes non femel præ aliis elegerunt fedem, verbi divini præco donatus a Principe est. Postquam BOYE agere inter mortales defit, diutius BURCKLINUM ruri hærere non paffus est Marchio. Dignus, qui in aula, qui in ipfo Principis confpectu verfetur, qui non unius loci, fed omnium faluti confulat, qui totius ecclefiæ incommodis medeatur, qui Illuftri Lyceo præfit, cæterarumque fcholarum commodis provideat, electus est Confiliarius Ecclesiasticus & Gymnafii Rector.

Mortuo Augufto II. cum de fucceffione Polonica ad ipfum Rhenum certaretur, aula Principis noftri Bafileam translata et immutata Gymnafii facies. BURCKLINUS A. 1735. Pforzhemium concessit, facrorum Antiftes & Paffor oppidi primarius. Eidem A. 1742. redeunti ad nos Confiliarii Ecclesiastici, Carolsruhenfis & Durlacensis Diœcefium Antiftiti, Pafforis primarii, Gymnafii Ephori & Theologiæ Profefloris honores fumma animi lætitia congratulati fumus. *Nemo vir, inquit, venerabilis, alio me poft hac a vobis evocabit; unicam, quæ fupereft, a Domino cœlefti avide exfpecto vocationem.* Tandem vocatus ad aftra Deo, Domino fuo, Jefu Chrifto, in quo fpem pofuit & fiduciam omnem, anno 1760. exeunte animam reddidit.

Nunc de BURCKLINI A. 1735. fucceffore JOANNE CASPARO MALSCHIO dicendum. Staffortii, vico ecclefiarum annalibus non incognito, A. 1674. natus parentem habuit nec generis splendore, nec facultatum amplitudine, nec altitudine dignitatis illuftram, honeftum tamen fuisque contentum agricolam.

B

Potest

Potest enim, inquit Seneca, (q) *ex casa vir magnus exire; potest & ex informi humilique corpusculo formosus animus ac magnus: & quosdam videtur mihi in hoc natura tales generare, ut approbet, virtutem omni loco nasci.* A ligone & aratro cum abhorreret puerulus, animum ad aliud studium ut præpararet, Durlacum a parentibus missus. Quam capax ei, quam ferax a natura tributum sit ingenium, nisi majora hujus rei haberemus documenta, hoc esse potest, quod sex, in quas illustris schola tum distributa, classes triennio percurrit, dignus ab Ephoris iudicatus, qui ad altiora evehatur subsellia. BULYOWSZKY, quo Præceptore usus est gnavo & inprimis solerte, filii loco MALSCHIUM habuit. Eidem noster, Durlaco igni exhausto, veluti parvus Julius Aenææ, si fas parvis componere magna, adhæsit. Inopia, bellorum comite, patriam nostram urgente, cum turmæ aliquot Hungaricæ in fines nostros advolassent, MALSCHIUS a præceptore suo earum Tribuno Zabori quam diligentissime commendatus est. Hungarico habitu Germanus noster instructus novo patrono suo fuit ab epistolis, latinæ linguæ, quam Hungari amant, callentissimus. Quam lepidam tunc egerit personam, his ipse versibus depingit:

Codo caput tenerum, pectus tegit horrida pellis;

Parva mihi cingens crura cothurnus erat.

Nulla mora est: curvo metuendus acinace mannum

Conscendo in ripis, Enzia Nympha, tuis.

Tantaque commotæ est vesania mentis; in hostes

Auferor infelix & sine mente puer.

Arripiensque manu capulum, mihi protinus hostes

Huc date; pro patria dulce piumque mori est.

Hæc ego tum mecum. Sed quævis aura repente

Dispulit, & tepidi diripuere noti.

Hostis adest: fugio. Fugienti elabatur ensis;

Accipit hunc Enzi cespitè ripa suo.

Naturam in tribuendis animi dotibus nactus faultricem, in eo habuit benignissimam, quod elegantissima omni fere numero carmina condere inlitum ei atque innatum videbatur. Nec defuere, quibus divinum illud Poëtices studium melle dulcius sapuit, qui MALSCHIUM nostrum Poëtarum latinorum post renatas litteras in Germania principem vocitabant. Quid igitur mirum, calamum, quo carmina numerosa, gravia, sublimia exaravit, ab eo expetitur, & veluti rem insuetam atque admirandam in celeberrima quadam Germaniæ bibliotheca posteris asservatum. Taceo ejus laudem, Musis ipsis eam uno ore canentibus. Stutgardiam cum venisset, aulæ proceres carminum ejus dulcedine victi, per biennium Tubingæ eum litteris animum exculturum aluere. Quo elapso, Ratisbonam se contulit, victum scribendo quærens. Quem cum impetrare non posset, pharmacopœo cuidam operam dedit, a quo in Sclavoniam missus, Legionis Capraricæ sanitatem medicamentis curaturus. Eundem contra Turcas. MALSCHIUS a Germaniæ hostibus, qui tum ab Occidente venerant, patria pulsus, orientales Christiani nominis averfatus hostes excessit, evasit. Linzium Austriæ se ocysime movit, ubi Augustiss. LEOPOLDUS litterarum & litteratorum amantissimus Turcarum metu

(q) Epist. LXVI.

tu tum egit. Carmen, Germaniæ Classicum, quod ibi non minori celeritate, quam arte compositum Imperatori ipse obtulit, adeo fuit gratiosum, ut, si ejurata religione morari in Austria voluisset, illi forsitan licuisset esse fortunatissimo. Ab Imperatore largissime donatus rediit Tubingam. Paulo post Canstadii, deinde Stutgardiae in Gymnasio Praeceptor ad majora, quorum capax visus, ut se accingeret, Tubingam remissus est. Sed patriæ se natum a FRIDRICO MAGNO admonitus ineunte hoc sæculo Durlacum se contulit Historiarum, Eloquentiæ & Græcæ linguæ Professoris munera aditurus. A. 1712. alterum, qui eum educaverat, patrem in officio subsequutus, & postremo, post varias mutationes A. 1735. Consiliiarii Ecclesiastici & Gymnasii Rectoris dignitatibus auctus est. Quanto contenderit studio, quanto fervore, Gymnasium tam Durlaci, quam in nova hac Principis sede pristinum ut recuperaret fulgorem, quantus in patriam ejus fuerit amor, quanta in docendo dexteritas, quanta apud externos, qui opiparis dapibus eum allicientes ad se vocitavere, fama, quam alienus a studio opum acquirendarum animus, non ulterius persequar, ne viro huic antiqua religione & fide ego ex uxoris sorore nepos parentare videar velle. Tandem A. 1742. a supremo brabeuta collata ipsi, quæ præmia fidelibus servis asservantur in tabulario æternitatis.

Pauca addo de JO. WASMUTHO, (r) Gymnasii post MALSCHII obitum Inspectore & Prorectore, qui, tum demum bene vivere homines, cum bene lateant, dum viveret, statuit. Neque quidquam, quod vel præstanti ingenio excogitavit, vel assiduo studio ex aliis collegit, unquam edidit, in litterato orbe nomen suum ut inclaresceret. Molitoris honesti, non opulenti, filius Wolmarii, Hassiæ vico, in lucem editus. In patria academia Rintelii linguas sanctas, Philosophiam Scholasticam & Theologiam rectissime & acerrime didicit. Gallicam, Belgicam, Anglicam linguam sine interprete, sine aliqua exercitatione percepit. A. 1708. ab ingenio ad scholastica studia propenso Gymnasii Inspectoribus commendatus, Durlaci discipulos, primum tertianos, deinde secundanos, denique primanos admiranda quadam industria & fide litteras docuit. Retinuit hoc munus, cum A. 1723. Musæ Durlaco in novam sedem, quam iis parare cœperat CAROLUS WILHELMUS, migrarent. Biennio post linguarum orientalium Professor constitutus, linguarum sanctarum Professor, quam orientalium, quas non noverat omnes, dici maluit vir modestissimus. Continuum ejus in promovenda juventutis felicitate studium, indefatigabilem in ea formanda industriam, dexterrimam in eadem docenda rationem, quam ego disciplinæ ejus alumnus olim expertus sum, dum vivam, grata semper mente meminero. Docendi vivendique finem habuit A. 1749. septuagenario major.

Utinam de mortuis Gymnasii Rectoribus dixisse sat esset. Super est eheu! quem non sine maximo animi dolore, non sine lacrymis vere lugens nomino, summe venerandus ac doctissimus JACOBUS FRIDRICUS MALERUS, Serenissimo Marchioni, Domino nostro clementissimo a Consiliis Ecclesiasticis, Gymnasii Rector, Juris Naturæ, Matheos, Physices, & Linguarum Orientalium Professor, fautor meus atque amicus desideratissimus, anno superiore, ipso

B 2

Adscen-

(r) Vitam Wasmuthi & laudes exposuit Collega meus æstumatissimus CHRISTOPH. MAURITII, Eloquent. Prof. in Programmate A. 1750. edito.

Ascensionis Domini nostri Jesu Christi festo in cœlos assumtus. Viri incomparabilis, cui, præter vitæ perpetuitatem, nil defuit, quod posset a consummato & cultissimo ingenio proficisci, patriam, parentes, studia, eruditionem, labores, virtutes, merita omni prædicatione majora, quæ æstumatissimi Collegæ mei tum scribendo, tum publice perorando, pro eo, ac par est, jam collaudarunt, repetere non ausim. Manet, manebit viri, qui tantum potest, quantum pie prodest, memoria piis omnibus alta mente reposita. Recolendam eam gratissimo animo ipso beati viri die emortuali, qui in diem XXXI. hujus mensis incidit, merito statuit illustris Gymnasii pietas. Assurgent publice, moderante actum carissimo meo Collega CHRISTOPHORO MAURITII, Eloquentiæ Professore, ornatissimi juvenes, de beati MALERI vita & meritis pro suis viribus hoc ordine dicturi:

- I. NICOLAUS SANDER, Emmendingensis, *de discentium officio erga defunctos præceptores*, dicet latine.
- II. JOAN. GODOFRED. STOEßER, Carlsruhensis, *scholarum contemptores, ut exiguos & impios animos*, perstringet carmine latino.
- III. JOAN. CHRISTOPH. DIBOLD, Heilbronnensis, *de laboribus docentium circa mores discentium*, aget germanice.
- IV. JOAN. BERNHARD. ZIEGLER, Obereggenhemio Saufenburgicus, *labores docentium circa cultum divinum apud discentes*, describet græce.
- V. JOAN. ERNEST. WILH. HIZIG, Ittersbacensis, *labores docentium circa intellectum discentium*, exponet oratione latina.
- VI. CHRISTIAN. LUDOV. SCHWEICKHARD, Carlsruhensis, *Mathesin omnes alias disciplinas juvantem* commendabit gallice.
- VII. JOAN. LEONH. WALZ, Lœrracensis, *vitam Rectoris beate defuncti*, describet oratione vernacula.
- VIII. JOAN. SAMUEL SCHLOTTERBECK, Eutingensis, *mortem generi humano inimicam*, sistet carmine teutonico rhythmis libero.
- IX. FRIDR. CAROL. LUDOV. DE NAUENDORF, Eques Altenburgensis, *felicitatem præceptorum publicorum depinget*, versibus germanicis.

Tum vero FRIDRICUS WILHELMUS MALER, beate defuncti Rectoris natu major filius, decennis, Classis Tertixæ alumnus, *præmissio supremo ad parentem alloquio*, dignas auditorio gratias aget germanice.

Quotquot beatum virum magni fecerunt, amarunt, & Gymnasio nostro bene cupiunt, Mæcenates, Fautores atque Amici, magna frequentia ut declamationibus his intersint, etiam atque etiam perofficiose rogantur. PP. in Illustri Caroli Hefycheo d. XXV. Maii A. O. R.

MDCCLXV.



—  
a-  
to  
o-  
ei  
e-  
ft,  
no  
to  
eo  
if-  
i:  
n-  
r-  
es,  
m  
a-  
r-  
m  
i,  
ri  
n-  
o-  
u-  
e.  
e-  
a-  
ri  
l  
m  
o  
o  
o  
l



